

FR 17
15

II k
1994

ORATIO ACADEMICA,
DE
JURE FŒDERUM
S. R. IMPERII GER-
MANICI
EJUSDEMQUE
STATUUM,

In
Anniversario IVONIS Celebritate
Auctoritate
MAGNIFICI JURECONSULTORUM ORDINIS,

Habita.

In
Illustri & Perantiqua,
EBERHARDINA,
ANNO M. DCC. IV. Die 29. Septembr.,

à
J. J. de HOLTZE.

TUBINGÆ,
Typis GEORG-HENRICI REISL,
ANNO M. DCC. V.



SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI,
DOMINO, DOMINO
EBERHARDO
LUDOVICO,
DUCI
WURTEMBERGIÆ ET TECCIÆ,
COMITI
MONTISBELGARUM,
DYNASTÆ
HEYDENHEMII,
&c. &c. &c.

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS
ET IMPERII EQUITATUS GENERALI
PRÆFACTO,

PRINCIPI

Pio, Magnanimo, Forti, Felici,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO;

TENUEM HANC SCHEDAM

In

Demississima in sui commendationem,

obsequiique perpetui

tesseram.

Inscribere ausus est

SERENITATIS IPSIUS

Servus devotissimus

Humillimusque

J. J. de HOLTZE.



Q. D. B. V.

MAGNIFICE DOMINE

RECTOR,

DIGNISSIME DOMINE

CANCELLARIE,

VIRI

Summè Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi, Experientissimi, Clarissimi, Excellentissimi, &c.

*Domini Patroni, Fautores, & Præceptores
atatem suscipiendi, &c.*

Vos reliqui Auditores, Illustrissimi, Generosissimi, Nobilissimi, Honoratissimi.



Quidem justissimo iudicio DEUS humani Generis Conditor fœdam primorum parentum defectionem vario calamitatum ordine vindicavit. Quanta eheu tunc conversio ac cõmutatio omnium rerum, quam innumeræ calamitates, quanta indigentia, quanta præcipuè hostilitas successit, ut non homo ab homine

A tutus

tutus foret. At verò an minor benignissimi Numinis clementia & misericordia exinde relucet, quando ad fulciendam generis humani fragilitatem varia, eaque egregia, instrumenta humano generi suppeditavit? Næ multa dicendo nihil dicerem, si omnia Divinæ benignitatis munera eloqui audax conarer; tot enim tantaque sunt, ut nonnisi ea mirari silentioque adorare fas nobis æquumque sit. De uno duntaxat tantæ Divinæ clementiæ genere verba mihi facere in hoc Illustri Summorum viro- rum cœtu liceat, de FœDERIBUS nimirum, ad quæ celebranda DEUS ipse Optimus Maximus hominum animos instruxit atque exornavit. Ridiculum foret *fœderum originem* à fabulosa repetere narra- tione, quâ olim non Christianæ gentes, ^(a) Aucto- rem eorum Mercurium, velut conciliatorem dis- cordiarum, finxerunt. DEUS, ^(b) qui regit & moderatur cuncta, verus Auctor est, qui pro sua Divi- na prudentia, pro sua immensa bonitate cuncta, quæ humano generi conducere, ab omni æterni- tate fataliter ordinavit. Quo etenim pacto, qua arte homines sese tueri, quo fulcimento uti potu- issent, nisi summum Numen eorum mentes ad fœ- dera inter sese fancienda induxisset? Ab una par- tē urgebat necessitas, ab altera instabat utilitas, quarum neutri alio modo aliave via potuit subve- niri. *Necessitas*, dico, illud postulabat medium, ne homines omni humanitatis & societatis cultu destituti bestiarum instar in mutam grassarentur, cædem ac perniciem, ne uno accepto infelici idu
præci-

^{a)} Quod faciunt A. Gellius & Polydorus, Vergil. *de rer. invent.* L. 2. v. 15.
^{b)} L. 1. Moys. c. 9. & c. 16.

præcipientes sese darent, ne potentiorum ferro ab-
 forberentur, ne denique summa imis, imaque sum-
 mis miscerentur. *De Utilitate foederum* quis dubitat?
 iis omnes gentes utuntur, quæ gloriam sectantur,
 quæ fines proferre & provincias facere student, ac
 quæ pace piaque tranquillitate regna sua stabilire
 cupiunt. Quid autem multis? Foedera faciunt ad
 securitatem in pace, ad auxilium in bello. Mife-
 ros proinde illos & infelices, qui nimium suis tan-
 tum tribuunt viribus, se solos potentia, armis qua-
 sita, tuenda servandaque pares existimantes! Sanè
 dum ad culmè eniti contendunt, una cum ramis ipsis,
 quos comprehenderunt, decidunt; facilius enim est
 vincere & quaedam parare, quam parta tueri. Quem-
 admodum testudo, collecta in suum tegmen, tuta
 est ad omnes ictus, ubi verò exierit partes, quod-
 cunque nudavit, obnoxium atque infirmum habet,
 ita gens, quamdiu foederibus sese munivit, secura,
 illibataque manet; ut primum verò iis destituitur,
 cuius exponitur periculo. Foederibus igitur o-
 pus est, sed quemadmodum reipubl. commoda non
 ad unum eundemque collineant finem, ita pro di-
 versitate utilitatis varia etiam iniri foedera oportet.
 Modò perpetua, modò ad certum duratura,
 tempus panguntur. Nunc focii promittunt se eos-
 dem amicos inimicosque esse habituros, nunc si al-
 ter lædatur, alteri auxilium spondetur. Interdum
 æqualia, interdum inæqualia celebrantur, & quæ
 reliqua necessitas generis humani exigere solet.
 Supervacaneum foret pluribus foederum utilitatem,
 comprobare. Taceo quid Romani pro Mamer-

tinis contra Carthaginenses, pro Hispanis contra Afros; quid Veneti pro vicinis infirmioribus rebus publicis effecerint. In Nostram communem Patriam Germaniam intueamur, quæ libertatem suam, & felicitatis fastigium fœderibus maximè debet. Nisi enim ab excessu Imperatoris FRIDERICI III. interregni tempore, quo Imperii decus ferè prorsus deciderat, & non gradu modò, sed præcipiti quodam lapsu corruerat, Status quidam fœderibus initis rem lapsam confirmassent, quid de iis factum fuisset? Quid inquam factum fuisset? nisi deinceps quoque jus hoc quæsitum fœdera ineundi publicis legibus sibi stabilivissent, statuendo, quantum Regi suo, quantum sibi ipsis in his pangendis liceret. De hoc itaque argumento in Illustri præsentis Eruitorum corona perorare constitui, non quidem pro ejusdem gravitate, sed pro ingenii mei omnibus nota tenuitate. Vestram verò AUDITORES OMNIUM ORDINUM DECENTER COMPELLANDI EXORO benignitatem, benevolos præbere Orationi inconcinnæ aures, & quæ Vestra est humanitas, conatum nostrum meliorem in partem interpretari velitis.

Quocunque oculos convertere licet, quid aliud quam Martem cruentum, bellisque ferventia cuncta spectamus. Utinam Alma nostra communis Patria Germania iis intacta mansisset, cui pro dolor fœda servitus propè jam incubuit. Quanta, eheu nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, quæ implacatus & implacabilis animus, quanta turbandi feritas, quanta dominandi vastandique cuncta libido. Quodnam ergò in tantis rerum turbamentis
 resta-

restabat consilium auxiliumvè, nisi ut pressa fractaque Germania fœderibus sibi vicinos devinciret, quorum strenuissimis armis nixa tot hostium machinationibus par foret? At verò, cum non solum superiori ætate, sed præsentì maximè ævo acerrimè inter viros doctissimos disceptetur, an liceant talia fœdera Statibus Imperii & quousque liceant, periculum rei facere pro ingenii tenuitate, angustaque rerum publicarum notitia, pauca de iisdem differere sustinui. Interim haud alienum ab instituto fore arbitror, si principio disquiram, *in quantum Imperatori fœdera, qua cum ipsis Imperij Ordinibus, aut cum exteris Principibus Rebusque publicis ferire solet, permissa concessaque videantur.* Enimverò actum agerem, si pluribus argumentis de Imperatoris Augusti, qua pollet potestate, temere proloqui aliquid ausim, disputareque conarer. Patet notumque, omnibus, hodiernos Imperatores præstito jurejurando sese obstringere Capitulationibus, ^(c) quibus Imperii & obsequii nexus firmatur, juraque tam Imperatorum quam Statuum Germaniæ stabiliuntur. Hæc igitur Imperatorum potestas cum suis sit circumscripta cancellis, nec in Fœderibus faciendis eos egredi potest. Florente quidem in Germania Imperio Monarchico, quis dubitat Imperatoribus instar aliorum Regum, qui neminem, nisi DEUM gladiumque superiorem agnoscunt, liberam fuisse potestatem quælibet sancienti fœdera, nunquam aliorum requisito assensu? Nec erit, quod in contrariam sententiã animi distrahantur, quan-

B do

c) Vid. Excell. DN. D. Schweder, *Introd. J. P. Part. Gen. C. 2. §. 19.*

do istius ævi historia testatur, Imperatores ^(d) Procerum consiliis usos fuisse, eorumque mentem suffragiumque; explorasse. Quilibet enim Princeps qui utrumque; & rector bonus est & bonus Imperator, nil nisi quaesito consilio prudentiorum agere solet; siquidem plura consilio, quam vi armisque haud raro perficiuntur. Pari modo etiam prisca Imperatores, sæpè Proceres consiliorum socios habuerunt, quò sciscitarentur, quid consilii darent, aut quò sua humanitate ipsorum sibi conciliarent fidem & amorem. Ex hisce igitur elucescit, Priscos Imperatores nulla necessitate nulloque coactos jure, sed libera voluntate fuisse ductos, ut Procerum assensum in rebus tam arduis exquirent, eorumque favorem sibi pignerarentur. Utique, felicissimum illud regnum, in quo Princeps cum civibus suis, quasi Parens cum liberis agit. Ex hac autem tanta Imperatorum potestate, quemadmodum fata regunt orbem, certaque; stant lege omnia, converso extinctoque in Germania Imperio Monarchico, multum mutatum deminutumque est. Gens quippe Germanica quæ nec totam servitutem unquam pati potuit, nec totam libertatem, libertatis tamen tenacissima incipiebat leges dare suis Imperatoribus, & Majestatis quandam societatem affectare. Hinc antequam regiminis regni que Sceptra iis traderent, ad servandas capitulationes, quas vocant, sacramento aegerunt; nè antiquo more plenam sibi faciendi, quod luberet, libertatem asserent. Frustra autem la-

bo-

d) Hippolitus à Lapide, de Rat. Stat. P. 1. c. 9. Scß. 1.

borant, qui contendunt, ^(e) Ordines Imperii longissimi temporis usu & exercitio habere, quod ipsorum consensum in pangendis fœderibus perquirere Imperatores oporteat. Non equidem negari potest, MAXIMILIANO Imperatori nullum fœdus cum exteris ferire licuisse, nisi annuus conventus conspiraret; sed verò, an exindè conficitur, omnium Statuum consensum fuisse exploratum, idque juris ipsis ex longo temporis usu competiisse? Quæ enim lex, quæ constitutio, potestatem Imperatoris tum maximè florètem, antequam Regimentum institueretur, restrinxit? Nisi quod in societatem Belli Juris, & Fœderum Ordines ^(f) Wormatiæ videntur assumti. Ad Pacem ergò Publicam, cujus Auctor Imperator MAXIMILIANUS, tantum Jus Statibus quæsitum referamus, ut nunquam Imperatori liceret fœdus, ex quo Imperium periculum aut detrimentum capere posset, sine Eorum consensu sancire. Quid quod seriò graviterque urserunt, eodem Imperatore MAXIMILIANO inconsultis Iphis fœdus cum Pontifice, Franciæ & Arragoniæ Regibus contra Venetos ineunte. Ad hæc quidem Imperator regerebat, ^(g) se Divina favente gratia electum Imperatorem ea pollere potestate, ut quoties occasio adesset Imperii Germanici commodum decusque augendi, pro lubitu fœdus inire possit, minimè existimans, se Ordinibus præstare officium ingratum. Ne verò in po-

B 2 sterum

e) Quod fecerunt Status in Comitibus Wormatiensibus Anno 1508. *Gold. Politische Reichs- & Händel. P. 12. c. 4.*

f) Vid. Handhabung des Land- & Friedens / Anno 1495. S. Die Königliche Maj. soll keinen Frieden. *Excell. Dn. Datt. de Pace Publ. L. 3. C. 12. passim.*

g) Mutius, *Chronic. German. L. 29. apud Pistor. Tom. 2. p. 314.*

sterum parem sibi facultatem Imperatores sument, utiliter prudenterq; Electores successorem Imperatorem CAROLUM V. præscripta Capitulatione ^(h) velut nova lege adstrinxerunt, ut juraret, *se nullum unquam fœdus, neq; cum exteris, neque cum Statibus ipsis Imperij, nisi quesito sex Electorum assensu, esse initurum.* Hoc loco quidem præteriri non potest, plura in contrarium extare exempla, totâ ferè Germaniâ bello ob religionis libertatem gesto secutoque altero tricennali, turbatâ. In armis jus erat, filebant leges, & qui gladio prævalebat, ei optimè de jure justitiâque disputare licuit. Certè post turbida ista tempora hoc caput Imperatoribus ab Electoribus euixissimè commendatum legitur, maximè FERDINANDO III, cujus Capitulationi ⁽ⁱ⁾ verba hæc adjecta extant: *Ipsium teneri Electorum perquirere consensum in cætu eorum Collegiali, nisi aliud publica salus & utilitas, urgente exigui temporis spatio, postularet.* Tandem per *Pacem Westphalicam* ^(k) res ita definita est, *ut scilicet Pax aut fœdera publico Imperij nomine sancienda essent, id non aliter fieret, nisi de Comituali liberoq; omnium Statuum suffragio & consensu, utque in deliberatione super tali negotio Status jure suffragij sine contradictione gauderent.* Quin imò confirmatum auctumque observatur in Capitulatione ^(l) FERDINANDO IV. præscripta, qua Rex pollicetur, *se nullum fœdus cum aliis facturum, antequam Electorum Principumq; consecutus fuisset assensum, aut saltem temporis negotijq; exigente ratione septem Electores congregati fœdus ratum haberent.* Hujus capituli postremis verbis licet reliqui

h) Artic. 7.

i) Artic. 7.

k) Artic. 8. §. 2. Gaudeant.

l) Artic. 7.

qui Status Imperii quàm accerrimè obloquantur, prætendentes, ^(m) ut suum quoque explorare consensum in casibus exigui temporis necessitatisque Imperatorem oporteat, sub iudice tamen adhuc dum lis pendet. DEUS verò omnem disturbet, discordiam, servetque Ordinum concordiam, qua sola Imperium erit invictum & in antiquo flore perennabit. Quænam ergò Imperatoris in pangendis foederibus sit potestas, ex hisce fatis opinor, colligi potest.

Ad Statuum jurâ, quousque sese exerant, orationem meam defleto; primò disquirens, *an Ipsis inter sese fœdera celebrare liceat?* Hic autem sanè amplius nimis dicendi campus esset, si antiquissima Germanorum fata enarranda mihi sumerem, quæ immensæ molis voluminibus comprehenduntur. Proloquar saltem, quæ proximis seculis Imperii Status in tantum Potestatis fastigium collocaverunt. Commutato in Germaniâ post obitum FRIDERICI II. Imperio Monarchico, quàm fuerit regiminis confusa ratio, quanta perturbatio, non sine horrore cogitari potest. Plerique Imperii Status turbis distracti sibi invicem insidias, bella, latrocinia damnaque parabant, Barbarorum ritu cædem cæde, & sanguinem sanguine expiabant, viribus prævalentes reliquos libertate exuere & sub jugum mittere moliebantur. Quid multis? Jus in armis ferebant, cunctaque erant potentiorum fortiorumque virorum. Quanam re alia infirmiores tam præcipiti exitio, tamque irreparabili damno occurrere mererique

C

^{m)} Theatr. Europ. Part. 8. p. 490.

derique potuerunt, nisi ut foederibus sibi amicos
 sociarent, quorum armis auctoritateque à foedis-
 sima servitute, tristisque internecone vindicarentur.
 Hæc prima initia fuerunt libertatis & tranquillita-
 tis Germanorum Principum, si verum fateri licet.
 Præcipuum locum ejusmodi foederum meritò tri-
 buimus foederi Rhenano, ⁽ⁿ⁾ cujus licet de Origine
 varia sit virorum eruditorum sententia, ^(o) hoc ta-
 men certum exploratumque est, plura subindè fœ-
 dera ad ejus exemplum fuisse inita. Nimis ab in-
 stituto recederem, si pluribus omnia ejusmodi fœ-
 dera commemorarem, cum de jure solummodò,
 quod sibi Status Imperii circa fœdera facienda as-
 serunt, dicendum nobis sit. Sanè, quod jus sibi
 turbidis Interregni temporibus sumserunt, strenuè
 sibi servare omni deinceps ævo contenderunt. Ne
 autem detestandas istas conspirationes & horren-
 da conventicula, celebrare pergerent, legem san-
 xit CAROLUS IV. ^{us} in *Aurea Bulla* ^(p) verè aurea,
 confirmando omnes confœderationes, quas Prin-
 cipes & civitates super Generali Pace inter sese ini-
 issent. Iis saluberrimis foederibus adjungendum,
 omninò meretur *Fœdus Suevicum*, ^(q) cujus Præses
 constitutus erat EBERHARDUS Würtembergicus
 Gloriosæ memoriæ. Hoc foedere Rusticorum,
 seditio sopita fuit, tot arces, quas latrocinio & ra-
 pinis tantum viventes inhabitabant, funditus sunt
 everse.

n) ANNO 1254.

o) Vid. Disputat. Dn. Obrechtii, de *Fœder.* §. 14. p. 11.

p) Titul. 15.

q) Albertus Argentineusis Chronic. ad A. C. 1353. Fœderis hujus capita recenset
 Crusius in *Annal. Suev.* P. 3. L. 9. C. 1. & L. 10. C. 8. progressum summam compie-
 ritur Sleidan. *Commentar.* L. 4. propè fin.

everſa. Quid multis Hoc foedus hoſtibus incu-
 tiebat terrorem, ſolatum axiliumque afferebat a-
 micis. Haud pari felici ſucceſſu gaudebat foedus,
 quod Principes Proteſtantes Smalkaldia^(r) inter-
 feſe feriebant; equidem non raro libertas, quæ in-
 providis conſiliis, nec diligenti habita circumſpe-
 ctione defenditur, extremam inducere ſolet ſervi-
 tutem. Taceo de Unione Proteſtantium, de Li-
 ga Catholicorum, de aliis quorundam Statuum in-
 ter feſe foederibus, quorum numero foedus^(s) UL-
 RICHI Ducis Wuerttembergia^e cum Haſſia Landgra-
 vio PHILIPPO Magnanimo, foedus^(t) inter Epi-
 ſcopos Wuertzburgenſem ac Bambergenſem, tum
 Noricam Civitatem Circulumque Franconicum,
 contra ALBERTUM Brandenburgia^e Marchionem,
 aliaque plura comprehenduntur. Non diutiùs in
 exemplis immorabor, ſed de iuribus potiùs, quæ
 ſibi Status Imperii aſſerunt, diſquiram. Creditur
 vulgò FRIDERICUS III.^(u) Imperator animum
 induiſſe, ut omnia Principum Germania^e foedera
 prohiberet, diſſolveretque, veritus, ne ſua Majeſtas
 eorum potentia frangeretur. At verò MAXIMI-
 LIANUS, qui FRIDERICUM Patrem excepit, pru-
 dentiffima ratione in Pacis Public. Wormatienſi
 confirmatione ad Communem Ordinum in Com-
 mitiis congregationem ea reſtrinxit. Quapropter
 neutiquam porro licebat Ordinibus antequam Im-
 perato-

C 2

ANNO 1529. Sleidan. L. 9. Hortled. von Urſachen deſſ Teutſchen Kriegs. T. 3. L. 8.
 ſap. 8. Diſputat. pro Foed. Smalcald. ap. Gold. Politifch. Reichs-Handel. p. 31. Antonius
 Colerus, de Jure Imper. German. Sæc. 73. & ſeqq.

s) Waremund. L. 1. C. 2. num. 41. Hortleder von Urſach. deſſ Teutſch. Kriegs. L.
 3. c. 9. ſeqq. Melanchthon. in Epistol. ad Camerar. ANNO 34. p. 228.

t) Myſinger. Centur. 6. Obſervat. 2. num. 10.

u) In Reformatone de ANNO 1441. apud Goldaſt. in den Reichs- Caß. p. 187.

peratoris & aliorum Statuum obtinuissent consensum, ullum ferire foedus. Cæterum, uti inter arma omnes silent leges, ita pariter in tanta Germaniæ discordia tantisque turbis, quid miramur, si sæpè Principes Statusque neglectis legibus Imperii, foedera pepigerunt? Compositis verò belli fluctibus, paceque Alma Osnabrugæ & Monasterii reparata, hoc modò sancitum fuit, ^(w) *ut Status Imperij libero jure faciendi foedera tum inter se, tum et cum exteris pro sua cuiusque conservatione ac securitate gauderent, modo non sint contra Imperatorem et Imperium, Pacemque ejus publicam vel ipsam imprimis Westphalica Pacis transactionem fiantque, salvo per omnia juramento, quo quis Imperatori & Imperio obstrictus.* Ex quibus satis conficitur, licere Statibus inire inter sese foedera libere, ad conservationem & suam securitatem, modò non vertant in detrimentum Imperii, aut contra Imperatorem fuerint procusa. Detestanda contra eorum est hæresis, qui asseverare audent licere etiam contra Imperatoris Sacratissimum caput foedera sancire. An huc jusjurandum, quo præstito fidem perpetuam Reverentiæque Imperatori promiserunt, tendit? Non sanè! Gerit vices DEI in Germaniâ Imperator, justumque Patriæ Patris meretur nomen: Quis ergò salva fide in ejus contumeliam damnumque foedus inire poterit? Non tamen eorum rejicienda videtur sententia, qui existimant, defensionem salva fide suscipiendam esse, si religioni periculum imminet; DEO enim magis, quàm Magistratui obsequium debetur, nullaque major esse potest Tyrannis quam velle conscientibus imperare. At verò ô Pro-

ditores

w) Articul. 7.

ditores illos Patriæ, qui per causam religionis suam ambitionem aut avaritiam incrustare student. Pro miro & monstro habebat Juvenalis, cum duo oppida in Ægypto ob religionis larvam bella sibi movisse cerneret, & id dignum Satyra credebat. Quid diceret, si totam Germaniã hâc ratione disceptam spectasset? Quapropter Status Imperii quæcunq̃ue fœdera inter sese celebrent, modò commodo Reip. fiat, nihilq̃ue contra commodum, decus, Gloriamque Imperii atq̃ue Imperatoris moliantur.

Hoc temperamento eos uti oportere multo magis in pangendis fœderibus cum exteris, res ipsa loquitur. Suo jam tempore Clarus Bodinus^{x)} quadraginta septem fœdera, quæ Principes Germaniæ cum Regibus Galliæ contraxerunt, commemorat. Res magnæ molis foret, cuncta horum fœderum genera enarrare, cum innumera propè sint, pluraque clàm peragantur. Superfedeo multa de fœdere Chamborsico,^{y)} inito à Mauritio Electore Saxonix aliisque Germaniæ Principibus cum Galliarum Rege HENRICO II. Quis non videbat, dissoluto fœdere Smalkaldico, belloque postea infeliciter gesto, Religionem emendatam libertatemque Germanorum summo periculo fuisse obnoxiam? Utinam Status Imperii sine dissensionis studiis concordia conjunctissimi rem communem, agerent, quis conjunctos fasces frangere possit, aut conaretur? Utinam summa, qua deberent, fide legibus atq̃ue judiciis Imperii sumis uterentur, quid

D opus

x) L. 1. C. 9. de Rep.

y) Vid. Arumæus ad Aur. Bullam C. 9.

opus foret Exterorum Principum implorare opem, fœdera que cum iis inire? At verò quanta proli dolor! cupiditas & ambitio, quæ plerumque homines in transversum rapit, ut ab officio discedant, quorundam quoque animos occupavit! Suo multi privato student commodo, pauci publico, cum tamen sollicitius perpèderent, nullum corpori membrum moveri posse, nisi corpori vires adsint. Nec mirum sanè regnare Illustres in Illustrium familiis calamitates, dum justas omnes conculcant leges, rati, leges plebejo tantum sanguini latas, se supra omnia divina humanaque jura positos. Horret mens de iis cogitare, qui contra ipsum Imperatorem Ipsumque Imperium cum Exteris, insidiatoribus perpetuis Germanicæ libertatis, clam fœdera feriunt, nulla adacti necessitate, sola libidine, privato studio, vindictaque commoti. An sufficit uti excusatione, merita in Augustam Domum collata non satis sibi esse compensata: Se, cum quidam Imperii Status meliora consilia respuissent, necesse habuisse ob ditionum suarum secutitatem, Exterorum implorare opem? Phroh DEUM immortalem! an hæc excusatio tot virorum sanguinem redimere, tot calamitates illatas, tot Urbium vastationes, tot crudelitates, tantam perfidiam irreverentiamque purgare potest? Facinus, quod non Thetis omnibus eluat undis. An verò unquam ejusmodi fœdera eventum optatum fortita observare liceat? Sanè qui sese credunt istis omnium hostium viribus pares, subindè in caducum parietem inclinant, ipsique cum maximos firmosque se putant,

tant, inopinata prorsus ruina subinde opprimuntur, cum Perjurii pœna Divina exitium, humana dedecus sit. DEUS, cujus numen perjurio læferunt, tanta indignatione justaque nemesi eorum, facinus persequitur, ut omnem ætatem vicem suam doleant, eosque non solum facti pigeat, sed pudeat quoque. Hinc alii crudeli morte pereunt, alii exules fines suos relinquunt, & cum antea felicitate, splendore, divitiis gloriaque multos sibi æquales superaverint, nunc alterius gratia miserum spiritum trahunt.

Ne verò diutiùs patientia Vestra *Auditores colendisimi* abutar, finem dicendi facio. DEO igitur, immortalis, summo rerum humanarum arbitro, demississimas, & quas possum, maximas ago gratias, quod Divina sua singulari, planeque Paterna, qua in nos patriamque nostram est, benignitate, nos in hunc usque diem complexus fuit. Uni illius Gratia nostram debemus salutem, uni bonitati vitam nostram acceptam ferimus, uni illius brachio injustum perfidumque Germaniæ hostem victoria, quæ cum nulla comparari possit, debellavimus. Idem benignissimum Numen propono Sacratissimum Germanicum Imperium, omni felicitate florere jubeat, Imperatori Augusto vitam longævam, felicitatem perennem, gloriam immortalem, pacemque perpetuam concedat; omnes denique ac singulos Imperii Ordines, concordia, fide, & amore in Imperium, ac Imperatorem conservet. Hæc pro communi Patria Germania, hæc pro Domo Augusta & o-

mnibus omninò in univèrsùm Ordinibus vota
 sunt & preces. Præcipua verò **TIBI, PRINCEPS**
SERENISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME, ea-
 que ardentissima vota, nunc quoque nuncupare
 mihi liceat. Ah! quænam Provincia, **TUA** erit fe-
 licior, cui **DEUS** dedit **TE** Rectorem, ipsi **DEO**, si
 ita loqui licet, simillimum Principem. Quanta,
 quanta exempla argumentaque univèrso orbi pro-
 bant, **TUAM SERENITATEM**, quod rarum est,
 belli pacisque temporibus & artibus clarere. **TUA**
 in **DEUM** pietas, prudentia regnandi, justitia in-
 omnes, amor in Cives, fortitudo in bellis id per-
 fectionis culmen tenent, ut perfectiores majores-
 que virtutes fingi nequeant! Quanta **TUA** pro
DEUM immortalem fides in Imperium, Augustum-
 que Imperatorem fuit! Quanta **TUA** constantia,
 turbidis hisce temporibus! Quanta **TUA** cura, ne
 quid detrimenti Germania capiat! Quantus nomi-
 nis **TUI** horror, cum bellum nec timuisti nec pro-
 vocasti! Stupet mens nostra reputando tantam re-
 rum gestarum magnitudinem, quas non nisi silentio
 mirari possum debeo que, detraherem enim nimis
 laudibus **TUIS** impar Orator. **DEUM** verò non
 minùs, quàm Cives Principatus **TUI** devotissimi,
 comprecor; is **TE, JUSTUM PATRIÆ PATREM,**
HEROEM FORTISSIMUM ita servet, ut vita Ne-
 storea, Salute omnibus numeris perfecta, felicitate
 perpetua, cum nominis **TUI** terrore gloriaque ma-
 xima & æterna fruaris. Floreat & abundet **SERE-**
NISSIMA WÜRTEMBERGICA FAMILIA nulli
 comparanda fortuna, Alma firmaque pace ac fama
æter-


æterna. Crescat IPSE DUCATUS perpetuo incremento, ut beatæ fortunatæque ditionis exemplum perpetuo audiat. Quod restat, *ACADEMIAM* hanc nostram, universi Principatus singulare ornamentum, Divinæ curæ commendamus: Benignissimus eam DEUS tutam ab omni periculo præstet, ac in antiquo flore sistat, ut celebritate & splendore ad summum usque felicitatis culmen evalescat. Ejus fulcra, *MAGNIFICOS, EXCELLENTISSIMOSQUE PROFESSORES*, quorum benignissimo præsidio hucusque usus sum, & quibus, si qua mihi contingere sinat, felicitatem futuram debeo, sua custodia tueatur, vita diuturna donet, felicitate, qua major nulla esse possit, coronet, ut fama eorum, quæ omnem jam diu pervasit Orbem, summum attingat gloriæ fastigium, ipsisque fata ultra vota feliciora fluant. Præcipue *NOBILISSIMUM JURISCONSULTORUM ORDINEM*, quem viri Incomparabiles, Patroni & Fautores mei colendissimi, sua eruditione, sua prudentia, sua integritate ornant, ita cura sua protegat, ut, quemadmodum eorum laus nulla laude augeri potest, ita quoque eorum felicitas salusque nulli fortunæ æquiparari queat. Denique *CIVIBUS Hujus ATHENÆI, ILLUSTRISSIMIS, GÉNÉROSISSIMIS, NOBILISSIMISQUE FAUTORIBUS MEIS ET COMMILITONIBUS HONORATISSIMIS*, adeo sua gratia adesse velit, ut, sicuti Parentum suorum nominis, pariter quoque gloriæ hæredes evadant, ut sua prudentia & eruditione, quam sibi acquirunt, Parentum desideria expleant, gaudia illorum excitent, sibi que ipsis viam ad honores, ad gloriam, ad famam perennem, perpetuamque felicitatem muniant.

E

Vo-

FK II k 1994

x 3047300 VD18



Votis hifce peractis nil tandem fupereft, quàm
ut veniam inconcinnæ huic Orationi impetrem,
meque favori Veftro, *VIRI MAGNIFICI, EXCELLENTISSI-
MI, NOBILISSIMI, FAÛTORES ET PATRONI MULTIS NOMINI-
BUS COLENDISSIMI*, commendem, id unice obnixèque
contendens, ut *VÈSTRO* præfidio & benevolentia,
quam omni ftudio mereri connitar, porrò
me profequi velitis.

D I X I



MC

FK 127
15

II k
1994

ORATIO ACADEMICA,
DE
JURE FŒDERUM
S. R. IMPERII GER-
MANICI
EJUSDEMQUE
STATUUM,

In
Anniverfario IVONIS Celebritate
Auctoritate

MAGNIFICI JURECONSULTORUM ORDINIS,
Habita.

In
Illuftri & Perantiqua
EBERHARDINA,
ANNO M. DCC. IV. Die 29. Septembr..

à
J. J. de HOLTZE.

TUBINGÆ,
Typis GEORG-HENRICI REISL,
ANNO M. DCC. V.

